

Walter Map, chierico inglese (n. 1140 circa - m. tra il 1208 e il 1210). Scrisse il *De nugis curialium*, contenente tra l'altro interessanti ritratti di Arnaldo da Brescia e die primi valdesi.

Gualteri Mapes [Walter Map], *De nugis curialium distinctiones quunque*, a cura di Thomas Wright, London 1850, p. 42

Quia superius Ernaldus de Brixa se nostris intulit sermonibus, dicatur si placet quis fuerit, sicut audivimus a viro temporis illius, viro quidem magnifico multarumque literarum, Roberto de Burneham.* Hic Ernaldus ab Eugenio papa post Abaielardum incitatus, indefensus, et absens condemnatus est, non ex scripto sed ex prædicatione. Secundum sanguinis altitudinem erat Ernaldus nobilis et magnus, secundum literas maximus, secundum religionem primus, nihil sibi victus aut vestis indulgens nisi quod arctissima cogebat necessitas. Circuibat prædicans, non quæ sua sed quæ Dei sunt quærens, et factus est omnibus amabilis et admirabilis. Hic cum Romam venisset, venerati sunt Romani doctrinam ejus. Pervenit tandem ad curiam, et vidit mensas cardinalium vasis aureis et argenteis onustas et delicias; in epistolis coram domino papa reprehendit eos modeste, sed moleste tulerunt, et ejecerunt eum foras; qui rediens ad urbem, indefesse docere cœpit. Conveniebant ad eum cives, et libenter eum audiebant. Factum est autem ut audirent de contemptu premiorum et mam-mone sermonem fecisse cardinalium in aures præsentis domino papa prædictum Ernaldum, et ipsum a cardinalibus ejectum. Congregati sunt ad curiam, et jurgati contra dominum papam et cardinales, dicentes Ernaldum virum bonum et justum, et ipsos avaros, injustos, et malos, et qui non essent lux mundi sed fæx, et in hunc modum, et vix continuerunt manus. Quo tumultu vix pacificato, missis ad imperatorem legatis, dominus papa denunciavit Ernaldum excommunicatum et hæreticum, et non recesserunt nuncii donec ipsum suspendi fecerunt.†